





266. 30 §. ch.
DISPUTATIO
JURIDICA
DE

COMMODATO,

QUAM
ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

PRÆSIDE

VIRO

*Amplissimo, Consultissimo atq; Ex-
cellentissimo*

Dn. JOHANNÉ THOMÆ,

J. U. D. & Profess. Publ. famigeratissimo,
Facultatis Juridicæ & Scabinatus in hac Sa-
lana Allessore gravissimo,

*Dn. Patrono, Præceptore atq; Promotore suo
omni honoris ac observantia cultu atatem
devenerando,*

IN AUDITORIO JURIDICO
publicè ventilandam proponit

AD DIEM XXIIII. NOVEMBRIS

JOACHIMUS STEPHANI,

Gustr. Megap.

F E N Æ

Excudebat GEORGIUS SENGENVALD,

ANNO M. DC. L.

5

et.

Ulm nihil ritè, nihilqve provi-
denter homines sine Deorum immor-
taliu ope, consilio ac honore auspi-
centur, benè ac sapienter teste Plinio
Jun: Panegyric. in Trajan. pr. majores in-
stituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à
precactionibus caperent: Cui instituto morigeri sub-
nixè DEUM Ter Opt. Max. rogamus, ut Spiritu & gratia
sua clementer nobis adesse, & cœpta nostra propitiùs
dirigere velit. Quo voto præmissò ad ipsius materiae
notitiam, de quâ dicere nobis est propositum, progredi-
mur. Contemplaturì (1) vocabuli Commodati etymo-
logiam (non ignari illius Ciceronis in Topic. verba es-
se rerum notas) quod Wesenb. in parat. ff. b. t. n. 2. pla-
cet, quasi cum modo datum, vel ut Hotom. Comment. ad
inst. §. 2. quib. modis re cont. obl. quasi ad commodum u-
tentis datum, derivare. Quæ tamen derivationes na-
taram magis contractus respicere videntur, quàm ge-
nuinam vocis cognitionem tradere; itaq; nobis à com-
modo commodatum deducere placet, ita ut illud dare
vel datum nihil aliud sit, quàm vocabuli productio,
quod idem approbat Frantzkius comment. ad ff. n. 7.
b. t. Vult comm. ad Inst. §. 2. quib. mod. re contr. obl. n. 4.
(2) Vocabuli Commodati interpretationem, cum apud
Ictos plurifariam sumatur & significet (1 insolenti sua
notione, ut Justus Meier. Coll. Argent. n. 3. b. t. animad-
vertit,

DEO AUSPICE,



Ulm nihil ritè, nihilqve provi-
denter homines sine Deorum immor-
taliu ope, consilio ac honore auspi-
centur, benè ac sapienter teste Plinio
Jun: Panegyric. in Trajan. pr. majores in-
stituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à
precactionibus caperent: Cui instituto morigeri sub-
nixè DEUM Ter Opt. Max. rogamus, ut Spiritu & gratia
sua clementer nobis adesse, & cœpta nostra propitiùs
dirigere velit. Quo voto præmissò ad ipsius materiae
notitiam, de quâ dicere nobis est propositum, progredi-
mur. Contemplaturì (1) vocabuli Commodati etymo-
logiam (non ignari illius Ciceronis in Topic. verba es-
se rerum notas) quod Wesenb. in parat. ff. b. t. n. 2. pla-
cet, quasi cum modo datum, vel ut Hotom. Comment. ad
inst. §. 2. quib. modis re cont. obl. quasi ad commodum u-
tentis datum, derivare. Quæ tamen derivationes na-
taram magis contractus respicere videntur, quàm ge-
nuinam vocis cognitionem tradere; itaq; nobis à com-
modo commodatum deducere placet, ita ut illud dare
vel datum nihil aliud sit, quàm vocabuli productio,
quod idem approbat Frantzkius comment. ad ff. n. 7.
b. t. Vult comm. ad Inst. §. 2. quib. mod. re contr. obl. n. 4.
(2) Vocabuli Commodati interpretationem, cum apud
Ictos plurifariam sumatur & significet (1 insolenti sua
notione, ut Justus Meier. Coll. Argent. n. 3. b. t. animad-
vertit,

A 2



vertit idem quod mutuum dare, *l. ult. C. de his qui ex public. ration. lib. 10.* cum tamen hoc nostrum commodare sit utendum dare, *l. 1 §. 1. b. r.* (2) Sumitur commodatum pro re commodata, *l. 3 §. 3. b. r. pr. l. ult. C. hoc tit.* (3) Pro contractu, *ut l. 5 §. 2. ff. commod. l. 7. pr. l. 7 §. 1 ff. de pact. l. 23 de R. I. §. 2. inst. quib. modis re contr.* Demum etiam (4) pro obligatione & actione commodati, *rub. h. §. 28. Inst. de actionib.* Illud jam rectè describimus: quod sit contractus Juris Gentium, realis; per quem ad certum usum alicui rem gratis concedimus, ut finito eo eadem nobis restituatur in specie. Just Meier Colleg. Argent. *h. tit. n. 3. Frantzkius comment. ff. n. 7. b. r.*

I. De commodati negotio jam dicturi, non inconueniens erit, personas si prius consideremus, quæ contractum celebrare queant, quæ non, quid enim esset jus nosse, & personas ignorare, quarum causa constitutum §. *fin. Inst. de I. N. G. & C. l. 2. ff. de stat. hom.* Possunt autem commodatum contrahere personæ omnes, quæ intellectum habere noscuntur, ut consensum accommodare queant, *l. 1 §. 3. ff. de pact. l. in omnib. 55 ff. de oblig. & Action.* Bocerus *class. 2. disp. 11. th. 4.* Non solum verus dominus; sed & possessor non-dominus, *l. commodare. 15. b. r. filiusfamilias, l. filiusfamil. 39. ff. de O & A.* Servus ignorante etiam & invito domino, *l. si servus. 14. ff. b. r. l. eos. C. de furt. & ser. corrupt.* usufructuarius, §. *1. inst. de usu & hab. autoritate tutoris pupillus, l. obligari. 9. pr. l. 1. §. 1. & 2. ff. de auct. & const. tut. l. obligari. 43. ff. de Ob. & Act. fur vel prædo, l. ita 16. b. r. l. non ab judice. 46. ff. de judic. l. 1. §. si prædo 39. ff. de pos. surdus, l. quibuscung. 48. de O. & A.* Uxor cum marito, *l. de restituendis 3. C. b. r. tum plures aliæ, quas ordine recensere supervacaneum puto.* Restat itaque videre, quænam excludantur vel prohibean-

beantur; & naturâ quidem prohibentur furiosi, *l. nec in furios. 2. ff. b. t. l. 20. de aqua plu. arcend. l. in negotiis. 5. de R. I. l. 10. eod. infantes, §. pupillus. 9. inst. de inutilib. stip. Lege, prodigi, decreto iudicis tales, l. 1. pr. l. 10. pr. l. 15. pr. l. 16. §. 1. de cur. fur. Excellentissimus Dn. Præses disp. de prod. posit. 2. Gail. 2. observ. 51. n. 1. & l. 2. de PP. c. 3. nu. 11. quibus bonis interdictum, *l. si curatorem. 3. C. de in integr. restit. usuarius, arg. §. 1. inst. de usu & hab. Tandem etiam nec ipse dominus rem suam commodatam accipere potest. l. 15. ff. de pos. Justus Meier. Coll. Argent. n. 4. b. t. Boccer. Cl. 2. disp. 11. th. 4. §. 6.**

II. Res, quæ commodato dari possunt, sunt eæ, quæ in patrimonio nostro sunt, sive mobiles; ut vehiculū, *l. certo loco 5. §. 15. ff. b. t. carruca, lectica, l. 17. §. 4. b. t.* & hæ res plerumq; in hoc contractu inveniuntur, *l. 1. §. 1. b. t. Frantzk. comment. ad ff. n. 11. b. t.* Sive moventes, ut servus, ancilla, equus, equa, quam pullus comitatur, *l. 5. §. 7. & 13. l. cum eum 2. C. commod. l. 5. §. 8. 9. l. 14. §. 15. ff. de furt. res soli immobiles, imò & incorporales, ut habitatio §. sed si cui habitatio. 5. inst. de usu & hab. t. l. cum antiquitas. 13. C. de usufr. & habit. l. l. Aquilius. 27. ff. de donat. & nihil impedit, quo minus dicatur tutius agi posse præscriptis verbis, si gratuitam habitationem dederimus, quam commodati, *l. 17. pr. ff. præscript. verb. Boccer. cl. 2. disp. 11. n. 7. b. t. Just. Meier. Colleg. Argent. num. 6. b. t. Frantzk. comment. ad ff. n. 12. b. t. Magnificus Dn Richter tractatu de contract. disp. 4. lit. C. Hieron. Treuth. disp. 24. th. 1. lit. E. Propriæ non ut ipsi domino, sed alii commodentur, *l. neq. pignus. 45 ff. de R. I. Alienæ, mala fide licet possessæ, l. 15. & seqq. ff. commod. quia ex commodato dominiū non transfertur, sed hoc tantum agitur, ut obligatio inter commodatum & commodatarium***

rium nascatur. Bacchov. ad Treutl. *disp.* 24. *th.* 1. *lit.* C. Excipiuntur autem non solum res, quæ extra patrimonium nostrum sunt, sed etiam res nostræ fungibiles, & quarum usus in abusu consistit, *l. sed mihi.* 3. §. *ult.* ff. *b. t.* l. 18. §. 1. ff. *de Reb. Cred.* quia hæc, ut debent, non possunt restitui, *l. 1.* §. 3. *de O. & A.* nisi forte non consumendi animo accipiantur, dicis causa, ad ostentationem, sive pompam, veluti pecunia numerata, oleum, frumentum, &c. *l. 3.* §. *ult.* l. 4. ff. *b. t.* vestimenta ex usu, ad quem adhibentur, dignoscuntur.

III. Expositis jam personis, & rebus, quibus & de quibus commodati contractum inire jura concedunt, omninò etiam finem ejus noscere oportet, cum omnia ex fine, ad quem fiunt, debeant adjudicari. Est igitur, cum teste Hug. Grot. *de jur. bell. & pac.* l. 2. c. 12 *num.* II. inter contrahentes propior quædam sit societas, quam communis est hominum, nullus alius quàm ut mutuis officiis alii alios adjuvemus, & communicato rerum usu, communibus vitæ necessitatibus, in hac civili societate subveniatur, Wesenb *parat.* n. 6. *b. t.*

IV. Concipitur plerumque hic contractus, ut quis roget, commodari sibi, *l. 5.* §. 6. 7. 10. 13. 14. l. 22. C. *b. t.* & ei rogationi consentiat is, qui rogatur, passim, *b. t.* l. 1. §. 1. 21. §. 1. *b. t.* §. 2. *inst. qu. b. mod. re contr. obl.* Just. Meier. *Coll. Argent.* n. 7. *b. t.* Interdum tamen ultrò etiam quis commodat, *l. 5.* §. 10. *b. t.* quod nihilominus rogatu commodatarii factum præsumi debet. Decius ad *l. contractus.* 23. *d. R. I.* n. 29.

V. Progredimur jam ad commodati contrahendi modum, qui vel substantialis, vel accidentalis, ut illum dividit Bocerus *class.* 2. *disp.* 9. *th.* 10. Harprecht. *comment. ad inst.* §. 2. *quib. mod. re contr. obl.* Tom. 3.

VI Pri-

VI. Primò ad substantiam commodati contrahendi requiritur, ut res gratis concedatur, *l. si ut certo. §. rem tibi. 12. ff. commod. l. si gratuitam 17. pr. ff. de præscr. verb. §. præterea. 2. instit. de Loc. & cond. eaq; nota distinguitur commodatum à locatione & conductione. Tametsi enim in locatione æque, ac in commodato res utenda conceditur: Commodatum tamen gratuitum est: in locatione verò merces pro usu rei intervenit, *pr. inst. de Locat. & cond. l. 2. pr. ff. locati. l. 4. ff. de obl. & act.* quominus enim pretium commodationis non quasi merces accipiatur, nihil impedire videtur, Anton. Peretz. *prælect. in C. l. 4. n. 3. b. t.* Et si quis, inquit Hug. Grot. *lib. 2. c. 12. n. 10. de jur. pac. & bell.* pro Commodato, deposito, mandato aliquid mercedulæ stipuletur, non injuriam facit, sed contractus miscabit, *§. in summa. 13. inst. Mandat. l. si quis. 1. ff. d. positi.**

VII. Secundò requiritur certus & definitus usus, quo non constituto contractus rectè celebratus dici nequit, *§. 2. inst. quib. mod. re contr. obl. l. 5. §. 12. ff. b. t. l. 17. §. si cum unum ff. de præscript. verb. & illum præscribitis, qui beneficium tribuit, l. 17. §. 3. b. t.* Sed precarium, quod à commodato maximè alienum, quamvis ei simillimum dicatur, *l. 1. §. fin. ff. de precar. Gloss. ad l. 15. §. 1. ff. eod.* tum quia in utroque usus rei gratis conceditur, & utrumq; ad liberalitatem, & beneficium magis, quam ad negotium contractuum pertinere videtur, *l. interdictum. 14. ff. de precario. d. l. 17. §. sicut. ff. commod. l. 8. & seqq. b. t.* tum quia utrumque ad utilitatem accipientis plerumq; conceditur, *l. 5. §. 2. in fin. b. t.* verum in commodato quamvis usus rei concedatur, conceditur tamen certus & determinatus, *l. 17. §. 3. b. t.* atque ita, ut si commodatarius aliter quam ex præscripto
com-

commodatoris re utatur, furti teneatur, *l. 5. §. 8. h. t. l. 14. b. t. l. 40. l. 71. ff. de furt. §. 6. 7. inst. de obl. quæ ex delict. nasc.* Precarium autem pro arbitrio concedentis revocari potest. Deindè commodatum non solum accipientis, sed utriusq; quandoq; gratia constituitur, *l. 1. l. 2. §. 2. de precar. Vult comm. ad inst. §. 2. quib. mod. re contr. obl. Minsing. ad eund. §. n. 2. Harprecht. comment. ad lib. 3. inst. n. 6. d. t. Frantzk. comment. ad ff. n. 15. h. t. Magnus Dn. Richter tractatu de contr. disp. 4. th. 3. lit. D. Schot. Exam. Jur. part. 3. h. t. Bocser. cl. 2. disp. 9. n. 1.*

VIII. Tertio ad esse commodati etiam requiritur, ut res eadem restituatur in specie, *l. mutuum. 2. pr. ff. de Reb. Cred. §. 2. inst. quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. 15. ff. de O. & A.* Nemo enim commodando rem facit ejus, qui commodat, sed rei commodatae & possessionem & proprietatem retinet. & ob id commodatarius de ea re ipsa restituenda tenetur, quod secus in mutuo, ubi in genere res tantum restituitur, *d. l. 2. pr. §. 1. inst. quib. mod. re contr. obl.* Cæterum mutuum à commodato etiam differt quod casum fortuitum in se recipiat, *l. 11. §. si cert. pet.* tum etiam quia est rerum fungibilium, & quarum domicilium transfertur in accipientem, *l. 8. ff. h. t. Arnold. ab Hersol. Adversar. action. part. 3. act. 17. n. 4. Peretz. prælect. in Cod. l. 4. h. t. n. 3. 6.*

IX. Quarto etiam res debent restitui usu finito, ante enim restituere commodatarius rem cogi non potest, *Peretz prælect. in libr. 4. C. n. 3. h. t.* quod intelligendum quoad spatium vel expressè vel tacitè determinatum, *l. 17. §. 3. in fin. h. t.* naturam inquit Hug. Grot. *de jure bell. & pac. lib. 2. c. 12. n. 3.* acceperunt talem hi contractus, etiamsi nihil esset dictum specialiter ex ipso nomine satis posset intelligi. Undè quoque finito tempore,

pore, usu tamen nondum incepto vel adimpleto, si iustum tempus, quo usus rei potuerit impleri, transactum sit, commodator rem à commodatario avocare potest, Perez. *prælect in Cod. n. 15. b. t.* & sibi imputet, qui intra constitutum tempus re commodata non est usus, *l. 73. §. 2. l. 203. ff. de R. I.* neque commodator injuriam facit commodatario suum recipiendo, *l. 129. ff. eod.* licet propter adversam valetudinem fortean vel iter minus tutum uti non potuerit. Certat enim de solo damno vitando commodator, commodatarius verò de lucro captando sollicitus est, quo casu illum huic præferre æquum est, *l. 11. §. 6. De Minor.* Frantzk. *comment. ad ff. n. 19. b. t.* Magnific. Richt. *tract. de contr. disp. 4. th. 1. lit. D.*

X. Sequuntur jam accidentalialia hujus contractus, quorum sexcenta liceret referre nitædiosum Ne autem silentio planè hanc materiam præterisse videamur, unum atq; alterum in medium proferre libitum est. (1) Accidens hujus contractus est, si una res pluribus commodatur, ut *l. 5. §. si duob. 15. ff. b. t. l. 3. §. ult. de duob. reis stip.* qui tamen singuli in solidum obligantur, *l. 5. §. ult. eod. l. 22. ff. depos.* Hæc enim natura est correorum, ut singuli in solidum & æquè principaliter obligentur, nullaq; prorsus sit obligationis discrepantia, *l. 2 l. 3. §. 1. Et passim de duob. reis constit. Arumæus Exercit. Justin. disp. 13. th. 9. Bocér. cl. 2. disp. 11 n. 10. Harpr. Comm. ad inst. Tom. 3. ad §. 2. quib. mod. re contr. obl. n. 17* tandem neque intelligendum hic quasi quilibet habeat partem usus, sed usum pro parte, ut quando utitur parte vehiculi. Partes igitur considerantur in vehiculo, non verò in usu. Pac. *leg. concil cent 4. n. 40.* Magn. Dn. Richt. *tract. de contr. disp. 4. th. 1. lit. C.* (2) Quando pactum adjicitur, ut res certo loco & tempore reddatur, *l. 5. pr. b. t.*

B

licet

et actio de eo, quod certo loco sit longè diversa ab actione commodati. Illa enim arbitraria est, *l. 4. pr. l. 2. Feod.* nec in bonæ fidei contractibus locum habet quia is ipso jure inest uberior bona fides, dataq; judici potestas laxius judicandi, quomodo & quantum satisfieri debeat, *s. o. inst. de act. Schotan. Exam. Jurid. b. t. Weseemb. comment ad ff b. t. n. 8.* Semper enim in contractibus sequimur, quod inter contrahentes convenit, et si nihil convenerit, ad legis dispositionem moremq; regionis recurritur, *l. semper. 34. d. R. I. Peretz prælect ad Cod. lib. 4. b. t. n. 10.* Contractus enim legem ex conventionem licita accipiunt, *l. 1. §. si convenit. 6. ff. de pos. l. in conventionalibus 52. ff. de V. O. l. in emptionibus. 43. ff. de pact.* Itaque porro si convenit inter contrahentes de casu fortuito, qui provideri ac provisus impediri nequit *l. 25. §. 6. ff. locati. l. contractus. 23. d. R. I.* dubium non est, quin inter accidentalibus hujus contractus referatur, cum debitor speciei de casibus fortuitis ex natura contractus non teneatur, à nullo enim tales casus præstantur, *l. in rebus. 18. pr. b. t. l. 1. C. de pos. l. si ut certo §. 5. quod verò ff. Commod. Cujac. Comment. ad l. 2. paul. sent. lit. E. Decius Comment. ad l. 23. d. R. I. num. 46.* Item ne culpa præstetur. Pactum autem ne futurus dolus præstetur, utpote quod bonis moribus è diametro est contrarium, nec in hoc nec in alio contractu valere potest *l. 17. pr. ff. b. t. l. 1. §. illud. 7. ff. de pos. l. si unus. 27. §. 3. ff. de pact. l. 23. de R. I. Cujac. Comment. ad l. 17. ff. commod. lit. A. B. Harprecht. Comment ad inst. Tom. 3. b. t. n. 19. Bocer. cl. 2. disp. 11. tb. 1. num. 10.* Culpæ verò præstatio, quandoq; & adesse & abesse potest salvâ & incolumi manente contractus substantiâ, *s. §. 2. §. interdum. 10. ff. Commod.*

eb.

XI. Occurrit tandem notandum, spectari etiam in contractibus beneficis quendam rei æqualitatem, non quidem omnimodam, ut in commutatoriis, sed ex suppositione ejus, quod agitur, ne scilicet ex beneficio suo quis damnum sentiat, Hug. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. c. 11 n. 13.* Ob quam rationem Commodatarius rei, si perit, pretium restituere tenetur, non solum, quia ratione rei domino tenetur, sed & ratione beneficæ acceptionis. Quæritur itaque, si vel occasione rei commodata, vel culpa commodantis aliquid abest, quid veniat in actione, ut loquitur Ulpianus *l. si ut certo. 5 ff. b. t.* ubi naturam contractus vel conventionis attendendam esse respondemus. Deinde inquirere libet in verba: venit in actione, quid iis Ulpianus velit, nos nihil aliud per illa intelligimus, quam quidnam in ea actione ex contractu sit præstandum: Cui sententiæ etiam subscribunt Herm. Vult. *Comment. ad inst. §. 16. de Actionib.* Gothof. *not. ad l. 5. §. 2. pr. b. t.* Sunt autem tria, de quibus quæri solet, præstationum genera, Casus, Culpa, & Dolus malus. Hæc quia non solum in commodato, sed in omni contractu, & in quibusvis hominum negotiis semper sunt distingvenda, pretium fuerit paucis ea explicare, & quomodo eorum quodque in singulis contractibus præstandum veniat, simul pro virili ostendere. Sutholt. *disp. 13. th. 30. 31.*

XII. Casum quod attinet, inopinum, quem nulla humana cura evitare aut avertere potuerit, intelligimus, ut incendium, naufragium, incursus hostium, & id genus alios *l. 2. §. 7. de adm. rer. ad civit.* & hunc in nullo bonæ fidei contractu præstari debere diximus. Idcirco creditor pignora, quæ hujusmodi casu interierunt, præstare non compelli potest, *l. 6. C. de pign. acti.* Hæc

B 2

autem

autem assertio, ut regula est, ita suas patitur exceptiones. & 1) sine dubio periculum casus fortuiti ad debitorem pertinebit, si ipse fuerit in mora, nec res eodem modo apud petitem perisset, *l. 14. §. II. ff. quod metus causa. l. si ex legat. causa. 23. ff. de V. O. l. si is qui Stich. 26. ff. de jure dot. l. 14. §. 1. ff. de pos.* & hoc etiam locum in mora irregulari habere videtur *l. merito. 19. ff. de vi & vi arm.* 2) Si culpa præcesserit casum, ut si vel rem commodatam in alium casum vel alio modo quam in quem accepit, utatur, §. 2. *instit. quib. mod. re contr. obl. l. 5. §. sed interdum. ff. commod.* Cujac. *d. l. l. A. B.* (3) Si quis pro casu fortuito se obligat, & rei periculum in se sponte recipit, *l. 1. C. de pos. l. negot. C. de Neg gest. Hieron. Cagnol. comm. ad l. 23. de R. I. n. 85. 9. Decius de R. I. l. 23. n. 40.* & tunc etiam de casibus insolitis eum teneri non dubitamus, arg. *l. 78. §. ult. ff. de contr. empt. Sutholt. diff. 13. th. 45.*

XIII. Et sicuti antecedens hoc præstationis genus in nullo bonæ fidei contractu regulariter præstatur, ita è contrario alterum, quod dolus in omnibus hisce contractibus locum habet & præstari præcipitur, *l. 23. ff. de R. I. supra th. 10.* & licet in bonum & malum dividatur dolus, *l. 1. §. 3. ff. de dolo malo.* Absolutè tamen in jure positus pro malo capitur, Rittersh. *ad l. 23. de R. I. cap. 4.* nec differt à fraude, *idem ibid.* & sicuti consensui, qui in omnibus contractibus interveniat, necesse est, nihil tam contrarium est quam dolus, arg. *l. 116. de R. I.* ita si contractui bonæ fidei dederit causam, contractus ipso jure est nullus, *l. 3. §. fin. ff. pro soc. l. 16. §. 1. de minor. l. 2. §. 5. ff. de dol. mal. & met. except.* si incidens fuerit per exceptionem doli mali purgari potest, *l. 7. §. 3. l. 13. §. 4. ff. de act. empt. l. 4. pr. de dol. mal. & met. except.* quæ itidè
exce-

exceptio contractibus stricti juris subvenit, qui dolo malo non rescinduntur, l. 22. ff. V. O. § 1. inst. l. de Except. l. 36. de V. O. l. 5. C. de inutilib. stipul. Magnificus ac Nob. Dn. Richter tract. d. contr. disp. 1. th. 7. §. 3. disp. 4. th. 2. l. B. Ludvvel. disp. 13. th. 1. l. 4. Solus autem dolus præstatur in commodato, si commodatum solius commo- dantis causa contrahitur, puta si maritus uxori jocalia commodet ornatus causa, l. 5. §. 10. l. 10. §. 15. b. t. quod etiam obtinet in deposito & precario, l. 23. de R. I. l. quod servus. 11. ff. depos. Frantzk. b. t. n. 51.

Seqvitur jam culpa sive omisio diligentia alteri damnosa. Culpa autem vocabulum generale est, nec semper eodem modo & gradu in omnibus contracti- bus præstatur, sed in singulis expendi debet, cujus gratia quid fiat, & prout homines sua agunt, vel enim sunt plane negligentes, vel affectatè curiosi, l. 6. ff. de jur. & fact. ignor. l. ea qua. 43. ff. de R. I. vel mediocriter res suas cu- rant, secundum communem hominum consuetudi- nem, l. 5. §. 11. ff. b. t. Peretz. prælect. in Cod. libr. 4. n. 9. b. t. Schotan. exam. jurid. b. t. facimus itaque cum alle- gatis auctoribus culpa tres species; latam scilicet, le- vem & levissimam.

XIV. Lata culpa nimia negligentia est, & deno- tat, neq; id intelligere quod omnes intelligunt, l. 22. de V. S. nec providere ea, quæ à quovis provideri poterant, l. si putator 31 ad L. Aquil. & hæc quandoq; dolo planè comparatur l. magna. 226. d. V. S. l. 1. §. in verb. lata culpa. ff. si mensor fals. mod. dix. l. 1. §. 4. de O & Act. Item dolum repræsentare dicitur l. 1. §. 2. ff. si is qui test. liber. esse juss. prope dolum & dolo proximam esse, l. fidejussor. in pr. Mandat. l. cum res. 47. §. culpa. ff. de legat. 1. imò simplici- ter culpa dicitur dolo, l. quod servus. 11. ff. depos. l. is cui §.

ff. ut in poss. leg. l. quod Nerva. 32. ff. depos. Non autem hic intelligendum, quod dolus & culpa lata sint idem. dolus enim ex fraude, lata culpa ex fatuitate provenit *Gloss. ad. l. d.* Deinde lata culpa in contractibus instar doli habetur, & dolo æquiparatur, in delictis odiosis, poenas corporales irrogantibus, non item, *l. in leg. Corn. 7. ff. ad L. Corn. l. iustus. de manumiss. vindict.* Andr. Gail. *lib. 2. obser. no. n. 2.* nisi in casibus nominatim jure expressis, *d. l. 1. §. 1. ff. si mensor fals. mod. dix.* Ultimo loco in hac materia nobis obvenit quaestio: *An ob latam culpam quis fieri possit infamis?* & quamvis plurimi affirmativam tueri laborent, firmior tamen est negativa, per argumenta Magnifici & Nobiliss. Dn. D. UNGERUR Præceptoris, Patroni ac Hospitis mei ætatem devenerandi, *Exerc. Justin. 5. quest. 1. in Nego Harprecht. Tom 1. ad tit. de susp. tut. Vult. ad tit. de action. n. 7.* Olemar *antynomi. r. jur. Civil. disp. 7. tb. 44* Cujac. *in t. t. de l. S. l. 223. lit. D. A. Schot. Exam. jurid. b. t. Minsing. ad 2. de susp. tutor. n. 3.*

XV. Levis culpa negligentia est, qua quis in rebus alienis eam curam non adhibet, quam ceteri patresfamil. solent, tametsi in suis minimè diligentior *l. mulier. 22. sed enim ad Scutum Trebell.* Et hæc præstat. in contractibus, in quibus utriusque utilitas versatur, & de rebus communibus agitur, *l. hered. 25. §. non tantum. 16. ff. famil. ercisc. l. 16. §. 4. eod.* Et si in lege simpliciter culpa posita invenitur pro hæc accipitur regulariter quæ levis est, *l. 23. de R. I.* alias convenientius est accipi nomen culpæ, secundum gradum, quem subjecta materia desiderat. Schoran. *Exam. jurid. b. t.* In commodati etiam contractu, ut supra dixi, tunc etiam simpliciter præstat, cum utriusque causa celebratur, ut si socius

et.
cio vasa argentea commodet, ut habeat illa in communi convivio, l. 17 in fin b. t. Frantz. d. l. n. 51. Decius ad l. 23. de R. I. n. 40. Cagnol ibid. n. 41. 42. & seqq.

XVI. Tertiò levissima culpa est, cui diligentia & custodia opponitur exactissima, non quia unusquisque sua, sed quia prudentissimus sua custodire solet, l. 5. §. 2. l. 18. ff. b. t. l. 2. §. fin. l. 3. ff. de peric. & commod. rei vend. Unde Peretz. prælect. in Cod. diligentissimum à culpa levissima immunem pronuntiat, b. t. n. 9. Et hæc culpa regulariter in commodati negotio præstatur, plerumque enim solam Commodatarii utilitatem concernit, l. si ut certo. §. 2. ff. commod. l. 23. de R. I. l. custodiam 3. ff. de peric. & commod. rei vend. Rosin. antiq. Rora. lib. 9. C. 5. lit. C. Harprecht. ad §. 2. inst. quib. mod. re contr. obl. num. 23. & omnes fermè Juris interpretes: Quod adeò verum est, ut Commodatarius culpam à se abfuisse probare teneatur, Hieronym. Cagnol. ad l. 23. de R. I. n. 32. maximè in casibus, qui citra culpam non solent contingere, Peretz. d. l. n. 12. Bocerus cl. 2. disp. 9. tb. 13. cum contra commodatarium legis sit præsumptio, l. 6. §. 9. in fin. & ibi DD. ff. de edendo l. 1. ff. de R. V. Item commodatarius in periculo constitutus, pretiosiores quidem res suas prius conservare potest, sed si æquales habeat cum rebus commodatis, has suis illum præferre oportebit, l. 5. §. 4. b. t. l. 3. de peric. & comm. rei vend. alioquin ex beneficio suo Commodator reportaret damnum, quod iniquum foret, arg. l. 7. test. quem aper. Frantz. comment. ad ff. b. t. n. 47. Sin verò Commodator dixerit, Commodatarium rem suo arbitrio conservare debere, tum minimè eum levissimam culpam præstare oportere notat Hieronym. Cagnol. d. l. num. 32.

XVII, Se-

XVII. Sequitur porrò, si quis contrahentium, quod alteri debetur, spontè restituere tergiversetur, quomodo & qua civili actione alter res suas persequi possit, indicetur. Nemo enim rem suam ab alio possessam propria autoritate occupare potest, *l. 13 ff. quod met. causa l. penult. ad L. Jul. de vi privat.* Consultitur igitur indemnitati Commodatoris actiones, quæ principaliter ex ipsa contractus natura oritur, Commodati directa, § 2. *inst. quib. mod. re. contr. obl.* quam *l. 18. §. fin. ff. commod.* rectum commodati iudicium appellat. Datur autem illi, qui rem utendam dedit, *Wesemb. parat. b. t. n. 10. Harpr. d. l. n. 65.* sive ipse dominus; sive ejus heredes contra commodatarium, & ejus heredes eam instituant, *l. 15. §. seqq. b. t. l. 3. §. 3. ff. b. t.* Bocerus *class. 2. Disp. 9. th. 24.* Notandum tamen, unumquemque heredem pro parte tantum teneri, nisi unus totum restituere possit, *d. l. aut ex suo facto conveniatur, l. 17 §. 2, ff. b. t.* sive dominus non sit, ut prædo, fur, *l. 15. l. 16. b. t.* Datur contra plures etiam, si illis res aliqua commodata sit, ubi uterque, quia instar duorum rei debendi sunt, in solidum tenetur, unius tamen solutione alter liberatur, *l. 5 §. ult. b. t. l. 22. ff. depos.* nisi ex mente contrahentium periculum inter commodatarios sit divisum, vel nisi commodator singulorum fidem sit sequutus, ut in *l. 21. §. 1. ff. eod. Gloss. ad l. 5. ff. b. t.* Franzk. *comm. ad ff. n. 27 usq. 30 b. t.* tum alter ex alterius quoque culpa tenetur, ac etsi alter ob rem commodatam subreptam, furti egerit, alter etiam, qui furti non egit, commodati tenetur, *l. 7. pr. §. 1. ff. b. t.* Tandem quoque hæc actio datur administratoribus, ut tutori, item omnibus, quos commodatum contrahere posse, *th. 2. diximus.* Siquis verò sic commo-
daverit, ut reddatur alii, cujus interest, videtur actio ex
pacto

et.
pacto dare polle utilis: exemplo *l. 8. C. ad exhib. l. 19. C. de usur. l. 26. pr. depos. Just. Meier. Coll. arg. th. 11. b. t.*

XV III. Petitur hac actione principaliter res commodata, § 2. *inst. quib. mod. re contr. obl.* ut integra & in nullo, dolo vel culpa Commodatarij, facta deterior restituitur, *l. 3. § 1. l. 10 pr. l. 18. pr. b. t. l. 1. § 1. C. depos. l. 7. C. de pign. action. l. 42. ad L. Aquil. l. 13. de R. V.* Nam res, quæ deterior redditur, reddi non videtur, aded ut non liberetur debitor, nisi simul & interesse præstet. *l. 3 § 1. b. t. Ludvv. disp. 11. th. 8. lit. D.* nec tamen Commodatarius oblato deteriorationis interesse, rem à commodatario deterioratam recipere invitus compelli potest quod non de mediocri sed enormi deterioratione intelligimus) tum ne cōtra *l. 50 ff. de re jud. § l. 7. test. quemad. aper.* alicui beneficium suum fiat damnosum, tum ne ex fraude quis relevetur, aut negligenti succurreretur contra *l. 63. § 7. pro socio, l. 16. ff. ex quib. caus. major* tum quia aliud pro alio solvi non potest, *l. 2. § 1. ff. de Reb. Cred.* nisi res commodata à iudice æstimata fuerit, æstimatio enim operatur ut re perempta vel deteriorata solvatur pretium, ut refert ex Mozz *in tract. de contr. sub rub. de rebus. quæ possunt commodari num. 4.* Magn. Dn. Richt. *d. tract. disp. 4. th. 1. lit. G.*

X I X. Quod autem de cura & restitutione diximus rei commodatæ, non modo de ipsa re principali, sed & ejus accessione accipiendum est Proinde eqvam commodatam cum pullo, servum cum lance, *l. si ut certo. § 9. § 13 ff. b. t.* domum cum suppellectile, fundum cum instrumentis, rei item commodatæ fructus, *l. videamus 38. §. si possessionem. §. in ceteris. ff. de usur.* atque ex mora usuras, omnemque utilitatem commo-
C datori

datori præstare commodatarius tenetur, *l. mora. 32. §. in bona fidei 2. l. d. 38. §. 10. & 15. ff. de usur.* Bocer. *dict. cl. & disp. th. 20.* Harpr. *d. l. n. 57.* Ludvv. *disp. II. th. 8. l. d.* Non enim rem quæstui commodatarii esse oportet, quod ejus periculo non est, *l. 13. §. 1. ff. de com.*

XX. Denique hac actione agitur, si aliter Commodatarius re commodata, codice, eqvo vel vestimento usus fuerit, quam ipsi à Commodatore est permissum, fidem enim contractus violasse non tantum, sed furtum etiam commisisse videtur, *l. 5. §. 4. h. t.* Unde dubium non est quin sicut ob rei deteriorationem Lex Aquilia etiam locum habet, *l. 18. §. 1. h. t.* ita ob usus mutationem actione furti vel condictione furtiva conveniri possit, *l. qui furt. 16. ff. de cond. furt. l. 34. §. 3. ff. de Obl. & A.* nisi excipiat existimasse, se id invito domino non facere, quo casu quidem *l. qui re. 76. pr. ff. de furt.* non teneri eum furti actione dicit, sed in culpa æstimationem ponit, an non scilicet existimare debuerit, id dominum permissurum? Sipientis enim non est dicere putaram, ut notat ex *Cic. offic. Gothof. ad h. l.*

XXI. Et sicuti actio legis Aquiliæ & condictio furti cum hac nostra commodati actione directa concurrunt, ita etiam plures alias pro ratione subjectæ materiæ & negotiorum qualitate concurrere posse cum illa explorati juris est, & maximam partem inveniuntur apud Just. Meier. *Coll. arg. h. t. ib. 16.* Neque novum est, ut unius rei nomine plures actiones dentur, & maxime si diverso respectu competant, una utiliter, altera directò, Schot. *exam. jur. part. 2. ad tit. si quadr. paup.* sed tamen, si una earum fuerit actum, tollatur altera necesse est, *d. l. 13. §. 1. ff. h. t. l. qui servum 34 §. 1. ff. de*

de Obl. & Act. Franzk. all. loc. num. 36. Harprecht. d. l. num. 65.

XXII. Succedit contraria Commodati obligatio, quæ ex post facto & quasi per accidens commodatario & ejus heredibus nascitur, introducta ex necessitate, quia sæpè evenit, ut qui commodatum accepit, non possit id, quod hac actione consequi potest, habere salvum, *l. 18. §. ult. b. t. Harprecht. d. l. th. 71.* Dispiciendum venit, quid in hac obligatione, ut Commodatarius indemnis maneat, præstetur, *l. 5. pr. ff. depos. præstari autem oportet, quod per causam rei abest ut si damnum ex causa commodati senserit commodatarius, fortè si vasa acceperit à sciente vitiosa, vel servum furem, & is commodatario furtum fecerit, damnum hoc refarcire commodatarius tenetur, l. 17. l. 18. §. penult. l. penult. ff. b. t. l. 13. de pign. act.*

XXIII. Præstatur deindè liber rei commodatæ usus. Etsi enim voluntatis & officii magis quàm necessitatis est, commodare : attamen intempestivè commodati usus auferri commodatario non potest : Sed pati commodator tenetur, ut commodatarius liberè re commodata utatur, ad eundem modum & finem, in quem rem accepit, *l. 13. §. sicut. 3. ff. commod. alioquin importunè repeteretur, & cum damno commodatarii, qui non tam adjuvaretur, quàm deciperetur beneficio, quod fieri non oportet, l. 17. §. 3. ff. b. t.* Et hic valet regula juris : Nemo potest consilium suum mutare in alterius injuriam, *l. 75. ff. de R. I. aliam item l. 17. §. fin. ff. comm.* nobis ponit præstationem in casu, ubi pro re perditâ pretium commodatori solutum, & ea deindè ad commodatarium iterum pervenit, aut ut rem ipsam

aut datam ejus æstimationem restituat. Bacchov. *ad Treutl. disp. 24. th. 4. lit. D.* Harprecht. *d. l. n. 68.*

XXIV. Tandem etiam impensæ sive sumptus in rem commodatam majores præstantur, modicos enim veluti cibariorum, vel in valetudinem, vel ad requirendum servum impensos commodatarius repetere non potest, *l. 18. §. 2. h. t. l. 31. §. 8. de donat inter vir. & uxor.* Modica autem esse videntur, quæ minora sunt commo- do ex re percepto, exemplo *i. 1. §. ult. de pign. l. 30. §. 1. de edil edict.* & alibi. Just. Meier *coll. arg. d. l. th. 18. Bocer. d. l. th. 30.*

XXV. Has præstationes commodatarius persequi potest actione commodati contraria adversus commo- dantem ejusque heredes *l. 5. §. 8. l. 17. §. 1. & §. ult. l. 18. §. ult. l. 21. pr. ff. commod.* Quomodo autem illa in judicio proponi debeat, quamvis quidem è re esset ap- ponere, cum tamen apud authores ejusmodi formu- læ inveniantur, nec una omnibus curiis congruat, u- numquemque ad suæ patriæ mores remittimus; gene- rales tamen quædam legi possunt apud Dn. Obrecht. *Disp. 13. th. 114. & aliquot seqq.* apud Schneidevvin, *in §. 16. Inst. de Action.*

XXVI. Concurrentes actiones, hæc contraria hæbet, Rei vindicationem si Commodatarius litis æsti- matione soluta Dominus rei factus fuerit, *l. 5. §. 1. h. l. 46. l. 47. ff. de R. V.* Item ex stipulatu actionem, si commo- dator caverit se rem receptam restitutum, *l. 13. pr. h. t.* tum plures aliæ, quarum rationem habere hac vice non licet. Ultimò autem obicem nobis ponit com- pensatio, an in commodate locum habere possit? ubi utriusque sententiæ argumentis perspectis tutius cum

Dn. Lud-

et.
Dn. Ludvvel. agere videmur, qui cum à regula, quod
compensatio in omnibus contractibus admittatur, l.
ult. C. de compens. §. 30. Inst. de Act.: Commodati actio
expressè non excipitur, neq; nos recedere debere do-
cet, sed ita demum, si non res ipsa petatur, sed ejus æsti-
matio. Cum enim & hic debeat quantitas, utiqve ea
cum alia quantitate compensabitur, *diff. II. th. 8. lit. E.*
Cujac. lib. 9. obs 37.

S. D. G.



QVam meritò patrios gnatos stirps incly-
ta gignit,
Inq; suos ortus ultrò generosa resurgunt
Semina: Num possunt timidam generare co-
lumbam

Vitricēs aquilæ? quæ non nisi sidera scādunt:
Scilicet hæc virtus vilem fugientibus alis
Spernit humū facilis, spernitq; ignobile vulgus.
Hunc Joachime probas, patrem virtute mi-
naris, (resolvens

Dum nostra Themidos cathedram sacra jura
Conscendis, doctèq; refers, ut commoda ferre
Quis possit, capiat, sed rem bene reddat eandē.
Hoc age, sic Divæ navus tua membra litare

C 3

Pergi-

*Pergito, te videat sacros lustrare recessus
Pervigilem. Sed quid dubitem? namq; hinc
mihī tempus*

*Cernere jam videor, quo te tua Diva vocabit
Justitiæ mystam, tua tempora cincta galero
Ostēdet patriæ, reducemq; dabit. Rata grator!*

*Per. Eximio Dn. Respondenti, Commensali
atq; Amico meo percharo, ex animo
gratulor*

*ERASMUS UNGEPAUR, J. U. D.
ORDINARIUS.*

Silicet aude aliquid, patrio seu nomine dignum,
seu, quod imago jubet, quam veneramur, Avi:
Ut titulis aliquando tuos patriis & avitis
non magis obscuros adjicias titulos

*Eximio Domino Respondenti
gratulatur*

PRÆSES.

Das ist der Jugend-bahn. Ein jeder muß sie
gehen/ (stehen/
Soll anders ohne Neid sein Lobes-lob dort
Wo sonst der Phaëton mit Feuer-pferden rennt/
Und wo das helle Liecht der bleichen Phöbe brennt.
Ein Geist der höher zielt/wenn er sie hat erstiegen/
Kan bey den Pöfel nicht und seiner unlust liegen/
Sein

et.
Sein Feuer-voller Sinn trägt ihn zum Tugendplatz/
Weil steht zum Gewinn weit über Gold ein Schatz.
Wohlan! Er fahre fort auf diesen adlen Wege/
Den er erwahlet ihm / daß sich sein Muht nicht lege/
Bis sein so tapfrer Geist den Zweck ihm hat erreicht/
Und seines Namens Ruhm den höchsten Sternen
gleichet.

Seinem guten Freunde glückwünschend
setzet dieses

Vogtschlaf von Wedel.

Horat : ex li. 3. Odar. 20.

Non vides quanto valeas honore,
Candidum pectus, cathedram Lycei
Doctus ascendens STEPHANOS seqveris
Laude parentes.

Quumq; proponis Juvenum catervæ
Jura contractus modò commodati
Grande certamen tibi differenti
Surgit ab illa.

Interim dum tu sacra tela legis
Promis, hæc dentes acuit politos:
Ast Deam legum tibi destinasse
Deniq; palmam.

Fertur & grato decorare dono
Jurium mystæ caput eruditum:

Sic-

Sicque honoratum ferat ad perenne
Culmen honoris!

*Hicce amico suo ac commensali per-dilecto
gratulari voluit*

FRANCISCUS BORCK,
Nob: Pom:

Incluta Juridica penetrare sacraria Divæ
Quantum! grassari jus per utrumq; Dices,
Utq; docent alij Conventa reciproca pacti,
atq; locatoris jura probare student;
Sic juvat in lucem jus tradere commoda dantis
Te, causas certis erue e indicijs.
Sic præclara legis Magni vestigia Patris.
Sic & consulti pars potes esse chori.
Maeste animo! stimulos quia Ti dedit emula virtus,
Eunomies tandem nomina summa feres.

Ita


Per-Eximio & Præstantissimo Dn. JOACHIMO
STEPHANI, J. U. studiosissimo, Contuber-
nali, Commensali, ac Amico suo cer.issi-
mo, honoris & amoris ergo gratulatur

CAROLUS ANDREAS Hoffmann/
Halleusis.

F I N I S.


ULB Halle
005 132 606

3



VDA 7






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



1650, 14 — 30 5

DISPUTATIO
JURIDICA
DE
MODATO,

Quam
DIVINI NUMINIS GRATIA,
PRAESIDE
VIRO
Consultissimo atq; Ex-
cellentissimo
JONE THOMÆ,
C. Publ. famigeratissimo,
cæ & Scabinatus in hac Sa-
essore gravissimo,
ceptore atq; Promotore suo
observantia cultu et atem
venerando,
FORIO JURIDICO
ntilandam proponit
XIV. NOVEMBRIS
US STEPHANI,
str. Megap.

ENÆ
RGIUS SENGENVALD,
no M. DC. L.

